



SCAFFALI ONLINE
<http://badigit.comune.bologna.it/books>

Falconetti, Ventura

Oratio habita Bononiae in auspiciis, dedicationeque noui gymnasii 12. Kal. Nouembris 1563,

Bononiae : ex typographia Ioannis Rubej, in via S. Mammoli, 1563

Collocazione: 17-SC.LETT ARCHIGINNAS. F 04, 003

<http://sol.unibo.it/SebinaOpac/Opac?action=search&thNomeDocumento=UBO2893181T>

Questo libro è parte delle collezioni della Biblioteca dell'Archiginnasio.

L'ebook è distribuito con licenza Creative Commons solo per scopo personale, privato e non commerciale, condividi allo stesso modo



[4.0:http://creativecommons.org/licenses/by-nc-sa/4.0/legalcode](http://creativecommons.org/licenses/by-nc-sa/4.0/legalcode)

Per qualsiasi altro scopo, o per ottenere immagini a risoluzione superiore contattare: archiginnasio@comune.bologna.it


67

VENTVRAE CAECI

Oratio

HABITA BONONIAE IN AVSPICIIS,
DEDICATIONE QVE NOVI GYMNASII

SII XII. KAL. NOVEMBRIS
M D L X I I I



BONONIAE,

Ex Typographia IOANNIS Rubci, in Via
S. Mammoli. M D L X I I I

BIBLIOTECA
COMUNITATIVA
DI BOLOGNA

VENTURAE CAECI

ORATIO

HABITA BONONIAE IN AVSPICIIS

DEDICATIONIS QVAE NOVI GYM-

NASII XII KAL. NOVEMBRIS

M D L X I I I



BONONIAE

Ex Typographia Joannis Rubci, in Via
S. Mammetti. M D L X I I I

VENTURAE CAECI ORATIO HABITA

BONONIAE IN DEDICATIONE NOVI GYM-

NASII XII KAL. NOVEMBRIS

M D L X I I I.



VSPICATISSIMAM Ego quidem hanc lucē, bonis omnibus celebrandam, seculis memorandam uniuerfis, summis efferendam, praedicandamq; laudibus, candidioribus calculis numerandam existimo. Non enim Reuerendissime PROLEGATE, uosq; omnium ordinum, qui adestis,

uiri clarissimi, non inquam annua, ut olim a maioribus fuerat institutum, sed immortalitate propaganda repetuntur auspicia. Aedes, Ara, Delubrum, Puluinar dedicatur, consecraturq; Mineruae, quae diuini numinis sapientia mentes illustrat, iter pandit ad superos, sapientiam nobis praeparat sempiternam. Et quoniam Legum sanctissimarum sacris operamur, eam, quam cepimus facultatem ante omnia suis efferamus praconiis, mox dedicationis sacra peragemus solemnia. Vos oro, atq; obsecro clarissima disciplinarum lumina, quam pollicemini, mihi faciatis audientiam; eloquar .n. quae eruditis auribus indigna nequaquam existimanda confido. ISTHAE C qui diligentius, accuratiusq; curant, legu septem mihi genera statuuisse uidentur, quae qui non cognouerit, ipsam etiam legem, quae legum omnium origo est, atq; principium, ignorabit. Est ergo lex prima DEVS ipse Optimus Maximus, & author rerum, & conditor, quem, quia Iustitiam ipsam esse constat, ipsam quoq; legem merito fatebuntur omnes. O legem immensam, legum omnium procreatricem, quam qui respexerit auidius, diligentiusq; explorauerit, utiq; non aberrabit. Qua de lege plura non dicam

nè sub scientiam ipsam infinitatem, atq; maiestatem
complecti uoluisse uidear. Proximum huic locum di-
uina uoluntas obtinet, fatorum, decretorumq; ab opi-
fice orientium & certissima lex, & iustissima, quam qui-
dè ab ipso numine re nemo seiunxerit, nemo penitus se-
parauerit, mète certè diuersa censebitur, cogitantibus
modo nobis, alium esse à uoluntate uolètem. Non equi-
dem diuersa dixerim hæc inuicem existere, sed tamen
affirmarim, uarijs rationibus excogitari. Hæc nimirū
illa lex est, cuius ductu consistunt omnia, ea cōstrueta,
exædificataq; conditione, ut lege uoluntatis uigeant,
& polleant diuina. Tertium ego quidem opinor locū
Stoicam promeruisse prouidentiam, diuinorum mune-
rum, ut equidem censeo, maximum, melioris naturæ
ex parte tributū homini summo, singulariq; beneficio;
huius auspicijs gesta sunt omnia, qua sine temporis di-
scrimine prouident uniuersa superi. O Legem diuinif-
simam, quæ consilijs DEI Optimi Maximi meruit inte-
resse, conficere, & ad nos referre consulta, omnesq;
mortalium actiones offerre Diuis, ipsiq; Indigetum Di-
uorum & Regi, & patri DEO. Quartam sanè legē pru-
dentis hominis ego mentem appellauerim, integram,
sceleris insciam, ignaram culpæ, DEO pro uirili parte
proximam, quæ terrenis pulsus illecebris DEO sese iun-
gat, quodq; ab eo lumen acceperit quoad eius fieri
possit perfectissimum, integerrimū, absolutissimūq;
tueatur. Clarissimis, sanctissimisq; authoribus proba-
re possum, hanc in hominum uita, qua de nobis suscep-
tus est sermo, legem esse potissimam, quam maximi
Heroes non tabulis, sed mentibus, scriptam seruant, ac
retinent, legis præcepta testificante conscientia. Itaq;
hoc ipsum meditantem Lycurgum illum, qui Lacedæ-
moniorum Rempubliam optimis legibus stabiliuit,
beatamq; reddidit, scribere leges noluisse crediderim.
Sed ad Quintam res iam ipsa me transire cōpellit, quā
uirtutibus collectam disciplinarum proceres, optima-
tesq;

tesq; dixerunt. Quid enim Fortitudinem esse quis di-
xerit præter legem, qua metuenda, & non metuenda
cognoscas? Quid uel beneficentiam, uel liberalitatem
appellare iure optimo possumus, nisi legem præcipientem
quid, quando, quatenus sit largiendum? Idem in
cæteris uirtutibus cerni sanè uidemus, unde credibile
rectè sentientibus fuerit, uirtutes Socrate philosophia
primipilum leges rectius, quā scientias descriptarū fu-
isse, quæ tamen ipse siue scientia sint, siue leges in ho-
minis uita scintillas promunt diuinitatis ex animis. Et
quoniam scientiarū meminimus, sextū in legibus gra-
dum disciplinis tribuamus, ridebit utiq; uulgus rerū
spectans cutem quemadmodū dici solet, neq; meditās
uel examinans interiora. Nos tamen rem ipsam aper-
tissimè & demonstraturos, & confirmaturos, si modo
attentius audiamur, pollicemur omnino. Quid enim
dicemus facultatem illam diuinissimam, quæ quod na-
turam superat, uel Metaphisice uocatur, uel Theolo-
gia? quis eam & cognoscendorum superam, & colen-
darū legem esse negauerit? beatissimarumq; mentū,
quæ nō procul absunt à numine legē esse, ingenū, atq;
naturam explicantem, quis non concesserit? Jam quæ
mediæ inter naturam, cælumq; consistunt, quæ Mate-
maticæ nuncupantur scientia, leges certè sunt, nec du-
bitare quisquam posse uideretur. Lex astrorum est Astro-
nomia. Figurarum, formarum, linearum author Geom-
metria. Quin & illa, quæ perspicendo cognoscitur,
quæ de his modo disputat, quæ patent oculis, quæq;
cernuntur, lex a sapientissimis iudicatur, oculorum
intuitum ad rerum contemplandarum peritiā du-
cens. Nam naturam lege cōstare satis arbitror explō-
ratum. Mentem .n. Anaxagoream rebus præpositam,
præfectamq; gignendis stultam esse confiterit, nisi ex
illa immensa, infinitaq; mole certa lege deducat, sive
procreari uniuersa possint, tantumq; suscipere semi-
num, quantum ad uitam tuendam satis esse sit uisum.

Nam Empedocleam concordiam, atq; discordiam
quis legibus niti nesciat, cū altera succedat alteri cer-
tis temporibus, limitibusq; discreta? Certè Democri-
tus, Leucippus, & Epicurus inanes atomos infœtilia
uidelicet corpuscula, nisi lege certa & coirent, & dis-
tracta diuellerentur, quorum alterum ad gignendum
ad perimendum alterum pertinere uideatur. Certè na-
turam uniuersam legem esse per cuncta meantem phi-
sicosū asserunt, affirmantq; principes, quibus putatur
refragari nefas. Jam Medicinā legem & incolumitatis,
& ualitudinis esse uel medicis ipsis iudicibus cōtende-
rim, qui nisi modū, legemq; seruarint, nihil, quod effici-
ant habebunt. Eam, quæ de moribus est consultò præ-
tereo philosophiam, ad quam post paulo reuertar, reli-
quas in aceruum confero. Est oratoria quidem facul-
tas suadendi lex, & dissuadendi, Poëtica & proficiēdi
simul, & delectandi. Dialectica uerum, falsumq; pro-
bandi; unde palam certè fuerit, nullam omnino disci-
plinam non esse legem. Sed ad Septimam, extremamq;
me refero, quæ tuendarum ciuitatum gratia uidetur
esse reperta, quæ certè Deo lex est gratissima, cui ni-
hil est charius, nihil conuentibus hominum incundius
quæ ciuitates appellantur. Iuris ergo sanctissimā ego
prudentiam non philosophiæ partem aliquam, non for-
mam existimo, sed uniuersam penitus philosophiam.
Principio legibus singulorum mores constituuntur,
coercentur, puniunturq; uicia, præmia parantur uirtu-
tibus, quibus ad egregia facinora palam homines inflā-
mantur. Illud certè nemo sana mentis abigat, eiusdē
esse & se ipsum, & familiam, & Rempublicam benè cu-
rare. Sit igitur iam perspicuum nihil uel sub calo geri,
uel apud ipsa numina, quod lege non efficiatur. Sed ut
ad Ius Romanum conuertatur oratio, quod studiis hoc
tempore frequentatur uel eo nomine certè, & sequen-
dam uidetur, & imitandum, quod tot seculorum com-
probatum serie, tot nationibus, moribus, linguaq; di-
uer-

uersissimis Romanum inuadentibus, occupantibusq;
imperium, integrum hætenus, inuiolatumq; perman-
serit. Et quamuis singula uon modo Regna, sed etiam
urbes noua sibi iura constiuerint, romanum ius tamen
respiciunt, eò cum deest aliquid confugiūt, hunc uni-
uersi iuris fontem, hanc originem profitentur. Nam
quod ad ius Pontificum attinet, quod religione confici-
tur, perpetuum fore & speramus, & uolumus, & opta-
mus. Vos, uos ego iam legibus enumeratis clarissimi
iuuenes appello, uobiscū omnis mihi iam erit sermo,
maximam omnium scientiarum prudentiam profite-
mini, quam consequi certè nequitis, nisi sudando pa-
riter, & algendo, laboribus opus est summis, uigiliis,
lucubrationibus, corona petenda est, uel arduo, præ-
ruptoq; calle, itinere difficillimo, neq; sanè non certā
tibus corona patet, pugnandum est, atq; uincendum;
nam malorum omnium finis est palma, quam soli adi-
piscuntur uictores. Quare per DEVM immortalem,
per indolem, fidemq; uestram accingimini, sudori nē
parcite, currite, properate, nemini enim uolenti nō
uincere licet, habetis omnia, quæ uos incitare, atq; in-
cendere possint. Hinc honos, hinc dignitas, hinc decus
hinc gloria, hinc tandem omnia uobis bona parantur,
& si quis paulò auidior pecuniæ, hinc maximæ pariun-
tur opes. Nihil est igitur, quod uos ab studio, laboreq;
deterrat. Sed quid ego multis ago? uos metipfos dili-
genter aspiciate, nullius certè aut adhortationis agebi-
tis, aut consilii. Ad sunt, ad sunt inquam Reuerendis-
sime PROLEGATE acutissimi GERMANI, qui iam
inde ab initio gentis sunt in laboribus exercitatisimi,
quiq; bonas artes sic cupidè receperunt, ut ad se tran-
sisse gloriētur Athenas, aureaq; secula reuenisse. Inter-
sunt opulentissimi BELGAE nulli penitus genti uirtu-
tis concedentes amorem, qui utriusq; militia & esse
uolant alumni, & existimari. VLNI quoq; orbis olim
Christiani propugnacula non desunt, qui nuac etiam
pro

pro religione pugnantes, & literis tamen alienos esse
se non putant oportere. Quid ego **POLONOS** me-
morem Slauam quondam gentem, qui tanti faciunt bo-
nis imbui disciplinis, ut nullis locorum, itinerumq;
uel spatiis, uel periculis terreantur, quominus huc se
conferant, tanquam ad nundinas literarias, satis ma-
gnam questum se domum reportaturos arbitrati, si do-
ctiores abierint. Nec silentio sunt prætereundi **HISPA-
NI** clarissimi, qui cum academias omni scientiarum
genere domi habeant insignes, tamen **BONONIAM**
ueniunt, uel urbis, uel gymnasii dignitate, uetustate,
nobilitate freti, qui etiam sibi monumentum in hac ur-
be edificandum putarunt, collegium scilicet præsta-
tissimum, optimo præfule Bononiensibusq; amicisimo
conditore, ut omnes intelligerent & amari ab hac na-
tione **BONONIAM**, & bonarum literarum uberrimam
segetem sibi promittere. **FRANCOS**, **BVRGVNDIO-
NES**q; quis obsecro non animo libenti commemoret
uiros & disciplinarum amantissimos, & bonarum arti-
um colonos diligentissimos? quibus cum proxima sit
LVTETIAE propè caelestis acadèmia, huc tamen uenti-
tare non desinunt, quòd sibi uidelicet persuadent Beo-
tiam deseruisse musas, & quem Poeta bicipitem fabu-
lantur montem, caelo ut fruerentur Bononiensi. Itaq;
desertis ad tempus penatibus, amicis, propinquis, pi-
gnoribusq; charissimis derelictis, ad hanc se conferunt
ciuitatem, quæ liberalium artium sacrario præsidet,
ipsas ut imitentur, sectentur, comitenturq; musas, un-
de & sibi, & suis nomen inclytum, magnumq; concipiant
emolumentum. Accedunt omnes **ITALIAE** cla-
rissimæ, præstantissimæque nationes, quæ laribus
profectæ ueram agnoscunt patriam, fatenturque **BONONIAM**
cuius nobilissimam acadèmiam omnibus
anteponunt gymnasiis, Italicas ego certè laudes in ip-
sis **ITALIAE** uisceribus non persequar, nè quod
meum maximè abominari genium intelligo, uidear
adu-

adulari, hoc unum certè dicam, Italicos homines, ut
olim gentibus imperitare norunt egregiè, sic hoc tẽ-
pore studio uirtutis, nemini penitus cedere, iureq;
optimo secundum ueterem Græciam primas sibi par-
tes in augendis, colendisq; scientiis Romana præfertim
lingua, in qua nobis traduntur, potissimum uendicare.
Si uos igitur iuuenes optimi, ornatisimiq; commili-
tones nosse uoletis, quod uel Apolline præstare autho-
re iubemini, nullis calcaribus, nullis aut hortatoribus,
aut monitoribus opuserit; uestro Marte proficietis
opinor, nè uos studuisse pœniteat, neue profecisse; cū
præfertim his utamini præceptoribus, quibus nec potio-
res, nec digniores, nec uestri amatiores uel optare uel à
DIIs immortalibus petere, uos arbitrer ausuros. Et
quoniam principum facta, studia, mores mortales imi-
tantur ceteri, uideamus obsecro quos ætas nostra prin-
cipes ferat, quiq; Reipublicæ & clauum teneant, & ha-
benas. Iam primum omnium **SENATVM** habetis Bono-
niensem de uestris commodis, atq; utilitatibus dies,
noctesq; cogitantem, & eum quidem **SENATVM**, quo
nulla uidit ætas uel dignitate, uel prudentia, uel clari-
tate, uel in Rep. administranda dexteritate digniorè,
(ut sic potius dixerim) diuiniorem. De te quidem am-
plissime **PROLEGATE** parcus eloquar, impedit enim
pudor tuas ingenii culpa laudes deterere, labefacta-
re; maximas. Scio equidem, scio his te laudibus non
delectari, quas inepta proferat oratio; in mentibus ho-
minum sita tua monumenta cupis, quæ nullo casu, nul-
lo tempore, nullo uel impetu, uel furore deleantur for-
tunæ. Immortalitatem tibi paras, tuæq; omnia ad eam
cõfers rationem, ut & beneuolètia, & hominum fama,
& uirtutum tuarum meritis collegium subeas indigetum,
heroicas prætergrediare sedes, supera teneas; unde cla-
rissimus ille animus creditur esse profectus. Quæ hæc
nunc igitur patraisti, minima, si cū iis, quæ cogitas cõpa-
rentur, existimare decebit. Itaq; ad decus **IN SVBRIVM**
tran-

transpadanæ gloriam. **ITALIÆ** Legatum sermonem referam **BONRHOMÆVM**, quæ in sacrû admîsû **SENATVM** nobis meritò gratulamur, qui quo sit in uos omnes, Bononiensiq; Gymnasiû animo, quid ego dicere coner? experti uos estis, experiminiq; quotidie, quem diu sit perfitem, diu cupitis esse Legatum, ut in pristinam auctoritatem nostram hanc referat academiam. Nam **PIETATEM** eximiam, atq; singularem apud uos necesse non est celebrare, qui pontificum maximû omni qua potestis pietate colitis, nec tamen tanti principis merita, tanti in uos pastoris, uel parentis potius optimi, atq; sanctissimi uobis ipsis officia æquare posse uideamini. **PIVS** labantem Christianam Rempublicam sanctissimis comitiis restituere nititur; errantes, deuiosq; reuocare, fluctuâtem nauim in portum subducere, bellorum casibus interempta studia reducere liberalium facultatum conatur. **PIETAS** incredibilis **BONONIAE** iuuentutem sacris uacantem legibus ingenti munere, clarissimo decorauit diplomate, summis ornamentis uoluit esse conspicuâ. Sed quid ago? in alueum exiguum oceanum studeo deriuare? obruitur sole syderum reliquorû splendor, maioribus minorâ lumina cedunt, quare tanti pontificis super se debolaudibus, & quod non ualeo uiribus consequi sponte remittam. Iam enim mihi uideo perorandum, iam uereor nê stomachum uobis mouerim, nê nauseam fecerit oratio. Reliquum iam est **PROLEGATE** Reuerendissime in tua cura positum omne, qui & Pontifex es & ciuitati præsidet. Quare te oramus, atq; obsecramus, postem ut teneas, uerba præeas, solemnia peragas, templû dedices. Vos interim adeste animis, fauete linguis, parcite iurgiis, omnia bona dicite, diem festum, in æuumq; uniuersum læti concelebrate frequentes. **EOTE** **DEA**, **DEAM** enim ueterum more, **DEAM** inquam communionem uoco, unum enim colimus **DEVM**, numenque ueneramur supernum, sed tamen ego te
DEA,

DEA, quæ Iouis capite diceris orta, quòd claudatur uertice sapientia, quòdq; hac nihil maius donarint homini numina. Te supplex precor inquam, ac ueneror, oroq; atq; obtestor mentes tuo lumine lustres, sapientes efficias, uulgares curas adhimas, cælestem fundas amorem, patremq; exores opt. max. hoc ut delubrum sit eternum scientiarum hospitium, ac diuersorium gētibus amenissimum, unde nemo recedat expers, nemo non sentiat se maximum abstulisse fructum. Quancquâ constat annuisse **DEAM**, quæ augurium nobis obtulerit præstantissimum, largissimum. s. imbrem, quo uim maximam disciplinarum omnium, atq; alluionem speramus, certâq; conciperemus expectationem, hæc puluinaria maximam scientiarum copiam cornu pleno tributuram. Ignosce mihi Diua precor, uosq; parcite cûcti; siquid. n. peccatum est, facilitate, summaq; in uos obseruantia est certè peccatum. Sed iâ satis multa. hûc diem, hunc locum memores retinete, uobisq; ac cæteris omnibus hinc quæso. Diis benè iuuantibus reportate triumphum.

D I X I

Ego Frater **ANTONIUS** Foroliuiensis Inquisitor Bononiensis concedo ut retroscripta Oratio imprimi possit, & in lucem dari.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

BIBLIOTECA
COMUNITATIVA
DI BOLOGNA

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

033585